



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

XII. De homicidio & de concubinato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

res. Est enim pactum, quo alteri beneficium ea lege traditur, ut fructus, vel post certum tempus ipsum titulum, alteri reddat. Prioris exemplum sit militum ductor, qui impetratum a rege pingue beneficium conferendum curat in fratrem aut sacellanum, ut modica pensione contentus majorem reddituum partem ipsi tradat. Posterius faciunt, qui pingue quoddam beneficium, universæ familiæ alendæ idoneum, familiæ servaturi, post mortem titulati curant, ut beneficium conferatur amico, quid id veluti depositum custodiat, dum puer e familia, cui id destinatur, legitimam ætatem attigerit. Hæc ingeniosa fraus exeunte sæculo XVI. Francis nostris fuit commendatissima, quum multa majora beneficia, immo & episcopatus, alieno nomine possiderentur a feminis & ab hæreticis. Hujus criminis eadem pœnæ sunt quæ simoniæ. Nam præter restitutionem locum habet excommunicatio ipso facto & omnium reliquorum beneficiorum privatio<sup>1</sup>.

1) *Constit. Pii X. d. 1. Jun. 1569.*



## CAP. XII.

DE HOMICIDIO ET DE  
CONCUBINATU.

## I.

Assassinia

**H**ACTENUS de criminibus, quibus maxime divina majestas læditur; sequuntur, quæ in homines committuntur, in quibus familiam ducit homicidium, homicidii-  
que

que atrocissima species assassinium, quod consistit in locata opera ad occidendum alterum. Concilium Lugdunense II. non solum in hos homines, & qui eorum operam conducunt; sed etiam in eorum fautores, & receptatores statuit excommunicationem & privationem omnium officiorum & beneficiorum<sup>1</sup>. Duella, quoque legibus ecclesiasticis<sup>2</sup> prohibita sunt, ex quo barbarorum moribus inveterata publice inibantur, æque ac torneamenta<sup>3</sup>. Ut sepultura ecclesiastica privandi sint, qui in duellis occumbunt<sup>4</sup>. Sed hæc male observantur, belle succedentibus torneamentis, & in Hispania concursationibus cum tauris, quæ sub iisdem pœnis sunt prohibita. Sunt etiam severæ pœnæ statuta in eos, qui abortus procurant, animasque infantium baptismo privatorum salute privant<sup>5</sup>; in parentes, qui partum exponunt; qui infantes in lecto secum jacentes in somno suffocant<sup>6</sup>.

1) C. 1. de homic. in 6.

2) t. 2. X. de purg. vulg. t. 2. X. de cler. pugn. in duell.

3) t. 2. X. de torn. Concil. Trid. sess. 25. c. 19.

4) Constit. Pii V. d. 1. Nov. 1567.

5) C. 20. X. de homic. 6) C. ult. X. de his qui fil. occid.

II. HOMICIDIUM clericorum, & quævis clerico illata vis, acerbissime vindicatur. Qui clericum extra casum inculpatae tutelæ verberibus afficit, ipso facto excommunicatus censetur<sup>1</sup>; & qui vasallus episcopi aut patronus presbyteri eadem molitur, feudo vel jure patronatus excidit<sup>2</sup>. Similiter clerici, qui aliis vim inferunt, atrocibus pœnis castigantur. Iis enim, ne quidem justo bello, arma

gestare permiffum<sup>3</sup>. Clericus percuffor officio privatur<sup>4</sup>, & fi quem, etiam casu, occidit, irregularis fit, nifi casus prævideri non potuit, & clericus verfatus fit in re licita, veluti sacerdos ille, qui tintinnabulum pulfans impulfu illo tintinnabulum præcipitavit in puerum adftantem, qui necatus est<sup>5</sup>. Qui femetipfos interimunt, peccatores impœnitentes habentur, privanturque ecclefiaftica fepultura & precum fructu<sup>6</sup>.

1) C.17. q.4. c.29. 2) C.12. X. de pœnis.

3) C.23. q.8. c.6. 4) C.1. X. de cler. percuff.

5) C.23. X. de homicid. 6) C.23. q.1. c.12.

adulteri  
qui fint ?

III. PROXIMUM ab homicidio crimen est adulterium, quo pertinent omnes illicitæ conjunctiones, quibus genuini natales vitiantur, natiq; opprobrio & infamia obruuntur. Hujus generis crimina ad præfcriptum juris divini fevere ulciscitur ecclefia, virique adulterium æque ac uxoris, fi nofcitur, condemnat<sup>1</sup>. In Francia tamen judex Ecclefiafticus in laicis adulteros in foro externo non animadvertit. Adulterium impedit matrimonium, contrahendum inter eos, qui id commiferunt promiffio matrimonio, fi liberi fuerint<sup>2</sup>. Omnis conjunctio vel concubinatus vivo marito aut vivente uxore est revera adulterium.

1) C.32. q.1. c.ult. 2) C.31. q.1. c.5.

concupi-  
natus  
prohibi-  
tus.

IV. CONCUBINATUS, jure civili toleratus vel faltem impunitus, jure ecclefiaftico crimen reputatur. Laici, five conjugati, five cœlibes, in hoc crimine hærentes, ab ordinario ex officio funt reprehendendi, & post tri-

nam admonitionem, si parere nolunt, excommunicandi<sup>1</sup>. Concubinæ autem ex locis, quibus scandalo sunt, manu militari expelluntur. Clericorum concubinatus majus flagitium involvit, primis sæculis inauditum. Non enim ordinabantur, nisi qui lecti & assidua probitate conspicui essent; inferiores autem, quorum major numerus, plerique uxores habuere. Sed sæculo X. clericorum, etiam presbyterorum, concubinatus publico usu sic vulgatus erat, ut propemodum permissus crederetur. Unde plures constitutiones natae<sup>2</sup>. Plebi injunctum, ne Missam concubinariū frequentet, officio privandi<sup>3</sup>. Sed malo intenso, pœnarum rigor remissus. Ex sententia concilii Basileensis<sup>4</sup> hujusmodi homines statim fructu trimestri beneficiorum, & si intra terminum concubinas non dimittunt, ipsis beneficiis privandi sunt. Si qui ad vomitum redeunt, irregulares censentur. Concinit huic decreto jus nostrum<sup>5</sup>, temperatque concilium Tridentinum<sup>6</sup> statuendo, ut post primam admonitionem tertia; post secundam omnibus fructibus priventur & suspendantur; post tertiam beneficio destituantur & irregulares censeantur. Si redeunt ad ingenium, excommunicantur. Concubinæ autem intuitu clericorum non solum eæ reputantur, de quibus id certum est; sed etiam omnis generis feminæ, in quas cadit suspicio<sup>7</sup>. Puniuntur etiam vel minima delicta, quibus clerici violant votum continentiae. Olim post pœnitentiam decennalem demum veniam sunt consecuti; veteres autem eos sine mora removerunt<sup>8</sup>. Clericus, qui contra naturam luxu-

riatur, carceri perpetuo ad perpetuam agendam pœnitentiam mancipatur, ut ab oculis populi tanti sceleris memoria removeatur<sup>9</sup>.

1) *Concil. Trid. Sess. 24. c. 8.*

2) *PETRUS DAMIAN. opusc. 12. in opusc. 18. c. 4 & dissert. 2.*

3) *c. 5. D. 32.* 4) *Sess. 20.*

5) *Pragmat. tit. 19. 20. & concordatum tit. 32.*

6) *Sess. 25. c. 14.* 7) *c. 5. D. 32.*

8) *c. ult. D. 61. c. 4. D. 81.* 9) *C. 4. X. de excess. præl. C. 13. X. de vit. & honest. cler.*



C A P. X I I I.  
D E U S U R I S.

I.

Pro usu  
rei fungi-  
bilis ni-  
hil,

**R**ATICNE contrectationis & usurpationis rei alienæ, non furtum solum & spoliū damnat ecclesiæ; sed etiam usuras rejicit, jure civili paganis permittas, nec Judæis jure divino intuitu extraneorum interdictas<sup>1</sup>, aut intuitu proximi prohibitas. Jam vero Christus, optimus legum interpret, non solum docuit, quemlibet hominem esse nostrum proximum<sup>2</sup>; sed etiam diserte præcepit, ut mutuū demus, nihil inde sperantes<sup>3</sup>. Eaque constans & perpetua ecclesiæ catholicæ sententia fuit, neque ex pecunia, neque ex ceteris rebus fungibilibus, quæ secundum quantitatem æstimantur, h. e. quæ pondere, numero & mensura constant, veluti frumento, vino &c. mutuo datis, quæstum esse faciendum<sup>4</sup>. Idque ex ea ratione, quia contractibus proposita est summa æqualitas, ut alter, quod ipsi expedit, obtineat